

temporum injuria interciderint; sane quæ publica Liturgiæ oratio ad patrocinium Liborij implorandum apud nos habetur, innumeris fastatur miraculis decoratum. Calculo cum primis laborantium singularis apud Deum patronus adjutorque est; Quâ pervulgatâ famâ evocatus anno Christi 1277 Wernerus Moguntinus Archiepiscopus Paderbornam supplex venit, ac D. Liborij implorata ope à calculi malo se liberatum palam testatus est. Neque tum primum cœpisse hujus mali cœlestem medicum implorari argumento est, quod jam in Gallia etiam ante adventum in Saxoniam referatur Calculi medius imploratus.

Cæterum ut hæc ab ipsius Divi ætate repetamus, vixit D. Liborius Cenomannorum quintus, seu ut alij quartus, Episcopus, Valentianiano, Gtatiano, & Theodosio Augustis, ut Baronius censuit, brevis & equalis D. Martino Turonensi Episcopo, quocum illi intima familiaritas fuit, ut à sanctissimo viro prima illi sanctitas adhæserit. Qua enim innocentia primam ætatem exegit, ea vitæ sanctimonia per 49 novem annos Episcopatum administravit, omnibus Episcopi virtutibus, rebusque præclarè pro Ecclesia sua gestis conspicuus. Quem ob id extremo morbo decubentem S. Martinus Angeli monitu invitit, & in sepulchrum intulit, prædicto ante Successore, quem Vicarium habuit. Excessit è vita circa annum Christi 383. s. Iudic Junij, seu ut alij 23 Julij, quo die Paderbornenses annuo, ac solemni ritu Liborium colunt. Quibus post obitum miraculis cognitus, ijs dum vivebat, clarum perhibent. Sanctitatis tot testes habet, quot vitæ suæ scriptores fastosque Sanctorum, ut supervacaneum hic referre. Nec minus Albricus Cenomannensium Episcopus, à quo Baduradus Liborij corpus impetravit, eximia sanctitatis præful tum temporis conspicuus, quem in Divorum quoque numerum retulere fasti Ecclesiæ suæ; ut quæ inter D. Martinum, & Liborium olim familiaritas; eadem inter Albricum & Baduradum utrumque gente Saxonem conspiciatur. Habet hoc Christiana vita per commercia virtutum, ut sanctos sibi viros in familiaritatem & amorem consociet; haud secus quam impiorum consortia à vitijs trahuntur. Ex eo nunc tempore Liborius ad B. Virginem & Kilianum Urbis & Diœcesis patronus adoptatus. Quonam verò sacrilegio sanctissimum hoc corporis pignus ætate nostra per Christianum Ducem Brunswicensem & Halberstadiensem Episcopum, captâ ab eo urbe, vi militari abstractum sit aliquamdiu, redditumque post Urbi nostræ, tempori memorandum est. Antiquitus, ne quis hoc in Cenomannis miretur, adeo difficiles erant Christiani in movendis Divorum corporibus, ut ne fragmina ossium dari sinerent, sed vela tantum, quibus corpora Martyrum involuta servabantur, quæ sanctuaria & Brandea dixerent. Quemadmodum hæc ex epistola Gregorij M. ad Constantiam Augustam,

O z

gustum,

Gobelinus cap. 67. ad hanc etatem.
Bollandus comment. ad vitam Liborij. 5. 5.

Synopsis vitæ S. Liborij.

Baronius in Martyrologio.